





19  
10.1

SPECIMEN  
JURIS CIVILIS ROMANI  
DE  
SOLEMNITATIBUS  
TESTAMENTORUM  
EXTERNIS

772,1

QVOD  
PRÆSIDE  
VIRO CONSVLTISSIMO EXCELLENTISSIMO  
DOCTISSIMO

DANIEL GRALATH

JVR. VTR. D. EJ. ET HISTOR. P. P. O. ET ILL.  
ATHEN. INSPECTORE

IN AVDITORIO MAXIMO

DIE IX. APRILIS A. R. S. MDCCLXXII.

PVBlice DEFENDET

AUTOR ET RESPONDENS

CAROLUS GODOFREDUS PATZER GED.

ALUMNUS FISCHERO FERBERIANUS ET VOEGEDINGIANUS.

ADVERSVS OPPONENTES

JOAN. JACOBUM DIRKSEN GED. J. V. C.

DANIEL AUGUSTUM PEGELAU. GED. J. V. C.

SAMUEL BENEDICTUM FLANDER. GED. J. V. C.

GEDANI,

TYPIS THOM. JOHANNIS SCHREIBERI, MAGNIF. SENATVS  
ET ATHENÆI TYPOGRAPHI.

SPECIMEN  
JURIS CIVILIS ROMANI  
de  
SOLEMNITATIBUS  
TESTAMENTORUM

EXTRINSECA

PRÆSTARE  
VIRI DOCTISSIMI  
DANIEL GRALATH

IN AUDITORIO MAXIMO

ALTIORUM RESPONDENS  
CAROLUS GODEFRIDUS PATZER CVM

ANNIS 1810 ET 1811  
JOHN AUSTRIANUS  
DANIEL AUGUSTINUS  
DANIEL BENEDICTUS GRALATH

INCLYTÆ  
REIPUBLICÆ GEDANENSIS  
MAGNIFICO SENATVI

ILLVSTRI  
PERMAGNIFICIS MAGNIFICIS GENEROSISSIMIS  
MAXIMEQVE STRENVIS

S. R. M. BVRGGRABIO  
PRÆSIDI

PRO-PRÆSIDI

PRÆ - CONSVLIBVS

CONSVLIBVS

SYNDICO.

PATRÆ PATRIBVS OPTIMIS

PRÆNOBILISSIMIS

CONSVLTISSIMIS - AMPLISSIMIS, SPLENDIDISSIMIS

DICASTERIORVM

VTRIVSQVE CIVITATIS

MEMBRIS

SENIORIBVS

ASSESSORIBVS RELIQVIS

IYSTITIÆ ARBITRIS GRAVISSIMIS

VIRIS

VIRIS  
SVMME REVERENDO  
CONSULTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,  
EXCELLENTISSIMIS, AMPLISSIMIS, DOCTISSIMIS,  
PROFESSORVM COLLEGII  
MEMBRIS

PRÆCEPTORIBUS ET FAUTORIBUS SUIS OPTIMIS

ET  
AD CINEREM VSQVE COLENDIS,  
PRÆNOBILISSIMIS SPECTATISSIMISQVE  
AD SACELLVM D. MARIE

ANTISTITIBVS

SPLENDORE AC DIGNITATE CONSPICVIS  
TANDEM OMNIBVS AC SINGVLIS

PATRONIS ATQVE FAUTORIBVS  
OMNI PIETATIS CULTU VENERANDIS, SUSPICIENDIS  
COLENDIS

HANCCE DISSERTATIONEM IN GRATISSIMI ANIMI  
DOCUMENTUM, ULTERIOREMQUE SUI COM-  
MENDATIONEM PIE AC SUBMISSÈ OFFERT.

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR DEVINCTISSIMVS  
C. G. PATZER GED.



SPECIMEN  
JURIS ROMANI,  
DE  
SOLEMNITATIBUS TESTAMENTORUM  
EXTERNIS.

§. 1.

*Successio ex Testamento est modus acquirendi  
derivativus.*



De Successione ex Testamento, quæ modum acquirendi involvit commentaturus, ab acquisitionis notione mihi incipiendum esse arbitror. Acquisitionis juridice considerata consistit in actu, quo rei, quæ nostra non erat, participes reddimur; inde modum acquirendi esse causam acquisitionis proximam, seu factum, per quod rei cujusdam participes reddimur, colligo. Modos vero acquirendi duplicis generis esse, facile ex sanæ rationis principis eruere possumus, si contemplamur, rem acquirendam vel esse nullius, vel jam in cujusdam dominio constitutam. Modus quo novam obligationem, vel novum jus,

A 3

quod

quod ante fuit nullius, acquirimus, modus acquirendi originarius appellatur, modus vero, quo acquirimus rem, quæ jam in alicujus dominio fuit, jus alterius, vel obligationem alterius, modi acquirendi derivativi nomine venit. Pro concipienda thesi, num testamentum sit modus acquirendi originarius an derivativus, ad conceptum hereditatis provocandum est, quia testamento hereditates acquiruntur. *Julianus L. 62. D. de div. reg. juris dicit. hereditas est nihil aliud, quam successio in omne jus, quod defunctus habuerit.* Verum hanc definitionem limitatione egere nullus dubito, mente volutans, alia esse jura personalissima, alia vero esse transmissibilia, quæ post obitum personæ, cui competunt, in aliam devolvuntur. Itaque hereditatis definitio ita concipienda est, ut jura personalissima per eandem non acquiri, intelligatur. Dicamus ergo, hereditatem esse successionem in omne jus defuncti transmissibile. Ex hac definitione fluit, nihil hereditate acquiri posse, quod nullius fuit, sed tantum talia jura in nos devolvi, quæ jam in alicujus, nimirum defuncti dominio fuere. Ex his pronò alveo fluit, cum testamento saltem hereditatem acquirere possimus, successionem ex testamento esse modum acquirendi derivativum.

## §. 2.

*Hereditas, quotuplex sit.*

Cum hereditas in genere triplici modo acquiri possit, scilicet ab intestato, ex pacto, & testamento, apud romanos vero secundus modus exusus fuerit, de hac triplici hereditate aliquid dicendum esse cenfeo. 1) Ab intestato succedebant heredes sui, & reliqui agnati atque gentiles, qui ad conservationem familiæ conferebant. Novo autem jure invaluit principium amoris, vi cujus triplex cognatorum ordo ad successionem vocatus fuit. 2) Successio pactitia romanis displicebat, uti ex *L. 19. & 30. O. de pactis* videmus, quæ postrema lex rationem addit, cur ea successio prohibita sit, his verbis: *Sed nobis omnes*  
hujus



hujus modi pactioes odiosæ videntur, & plena tristissimi & periculosi eventus; deinde pergit. Secundum veteres itaque regulas sancimus, omnimodo hujusmodi pacta, quæ contra bonos mores inita sunt repelli. Neque obstat bonorum possessio, quæ apud Romanos in usu fuit, nam & hæc vel testamentaria erat, vel ab intestato dabatur, non autem ex pacto. Principiis vero juris naturæ pactum successorium non prohibitum est, sed toties locum habet, quoties quis acceptat promissionem alterius, translationem juris hereditarii continentem. Apud gentes germanicas quoque hæc pacta semper honesta fuisse, exemplis probant in jure publico pacta confraternitatis, & reliqua pacta successoria. 3) Testamento succedebant heredes necessarii, qui, velint nec ne, hereditatem tenentur adire, inter quos eminebant servi proprii, qui, simulac heredes fiebant, etiam libertatem accipiebant, licet testator eis libertatem expresse non donasset. Quia enim nemo nisi civis romanus heres esse poterat, servo, qui heres institutus erat, libertatem a testatore donatam esse præsumebatur. Servus vero plerumque instituebatur heres a domino obarato, ne bona ejus nomine venderentur, & eo modo ignominia in servum, non vero in defunctum testatorem caderet: Porro testamento instituebantur heredes voluntarii, id est ii, qui nec in dominica nec in patria testatoris potestate erant, ideoque non cogi poterant ad hereditatem adeundam, sed eam vel repudiare poterant, vel acquirere. Hi vel expressis verbis adibant hereditatem vel se pro heredibus gerebant, vel acquirebant hereditatem declarantes, se hoc non facere animo se heredum instar gerendi, quo in casu negotiorum gestores appellabantur. Apud germanos veteres haud in usu fuisse testamenta, Tacitus jam docet in libro, quem inscripsit, *de moribus germanorum cap. 20.* dicens. Heredes, successoresque sui cuique liberi & nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, patru, avunculi Si vero aliquis obijceret, apud Burgundiones testamenta non ignota fuisse, respondeo, vocem testamenti omnino apud eos in usu fuisse, non autem veram eorundem significationem, Ex jure enim romano

rece-

receperant codicillos, quos testamenti nomine insigniebant, quod non mirum est, nam da Fresne sub voce testamentum rite observavit, omnia instrumenta apud germania gentes testamenta audiisse. Apud saxones quoque testamenta non in usu fuisse, sed tantum posterioribus temporibus ex jure romano recepta esse dudum evictum est a Conringio & aliis Germanorum jurium peritis, ex quibus repetit Casp. Schuetz von Erbfällen, qui capite primo, ita differit: Wiewohl aber, in sächsischen Rechten von Testaments-Ordnungen nichts beschrieben, und allein der Succession ab intestato Meldung geschieht, so sind doch solche Ordnungen, Testamente zu machen, u. Legata zu bescheiden, auf sächsischem Boden, und folglich denen Dörtern, da sächsisch Recht gilt, durch langen Gebrauch, nach Inhalt der Kayser-Rechte auch eingeführet u. angenommen. Jure naturæ non dari testamenta plures defendere conati sunt & inter alios Heineccius hisce duobus argumentis probare contendit 1) quoniam contradictionem involvere videtur, hominem in illud tempus aliquid velle, quo velle non possit, 2) quod nulla sit ratio sufficiens, cur superflites ejusmodi dispositionem pro lege habeant. Verum utraque objectio facillime refellitur, vbi consideramus: testatorem viventem, per dispositionem suam, transferre jus in re i. e. jus hereditarium, in eum, quem in testamento heredem nominavit. Inde heres jam vivo testatore obtinuit jus proprium, res a defuncto relictas post mortem ipsius occupandi: & in aprico positum est, testamenta qua talia omnino esse juris naturalis.

## §. 3.

## Definitio testamenti.

Jam his præmissis, videamus, quid sit testamentum. L. 1. D. *Qui test. fac. poss.* illud dicit esse voluntatis nostræ justam sententiam, de eo, quod quis post mortem suam fieri vult. Sed quum hac definitione testamentum ab aliis ultimis voluntatibus discerni nequeat, non rite eam institutam esse patet. Dantur enim  
ulti-

ultimæ voluntates de quibusdam, vel etiam de omnibus rebus disponentes, sed sine heredis institutione, quæ interna testamenti solemnitas tam necessaria est, ut Justinianus §. 34. *Instit. de Legatis* dicat: Ante heredis institutionem inutiliter antea legabatur; scilicet, quia testamenta vim ex heredis institutione accipiunt, & veluti caput atque fundamentum totius testamenti intelligitur heredis institutio. Ut itaque testamentum discernamus ab aliis extremis voluntatibus, quæ non instituunt heredem, illud dicimus esse voluntatis nostræ justam sententiam de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, heredis institutionem continentem. Hæc heredis institutio duplex est, vel constitutiva seu affirmativa vel negativa, quando heres legitimus ex justa causa exheredatur, cui tamen semper adjecta esse debet institutio affirmativa alius heredis. Quoniam enim testamentum, quo heres legitimus hereditate privatur, alius vero heres non instituitur, ex parte tantum, scilicet privative instituendo, de rerum universitate disponit, indicans, eam in hunc heredem non devolvendam esse, ex parte vero non de ea disponit, quippe non indicans, ad quem ea transire debeat; contendo, ejusmodi testamentum ipso jure nullum esse, revocans ad antiquam juris regulam, quod nemo ex parte testatus ex parte intestatus decedere possit. Testamento enim disponere, ad quem universitas rerum transire non debeat, adeoque heredem privative instituere seu exheredare, non autem disponere ad quem ea transire debeat, adeoque alium heredem constitutive haud nominare, idem est, ac ex parte testari, ex parte non testari. Vtraque hæc heredis institutio verbis imperativis fiebat. Antiquissimo enim jure, quia leges de successione tolli non poterant, nisi nova lege, & quoniam privatus legem ferre nequit, testamenta juris publici erant, & in comitiis calatis fiebant. Posteaquam vero testamenta in calatis comitiis condenda cessarunt, quilibet civis romanus domi illud conficere poterat, dummodo in antiqui moris memoriam, & quia testamenti factio semper adhuc juris publici erat, verbis imperativis vteretur: legis enim est imperare.

rare. Successu temporis hæc quoque verborum solemnitas ab Imp. Constantino L. 15. C. de testam. sublata est.

## §. 4.

*Testamentum differt a legatis, fideicommissis, & codicillis.*

Stabilito nunc testamenti conceptu, facile perspicimus, illud plane recedere a legato, per quod intelligo dispositionem testatoris, qua heredi injungitur præstatio alicujus rei vel facti. Differunt ergo legata a testamentis in eo, quod testamento tota hereditas acquiratur, adeoque illud sit modus acquirendi universalis, legato vero nonnisi quædam res, vel quoddam factum, cujus præstatio heredi universali a testatore injuncta est, a legatario acquiratur, adeoque hoc sit modus acquirendi singularis. Porro legatum non nisi testamento, aut codicillis testamento confirmatis relinqui potest, & nisi his accedat, valorem per se non habet, testamentum vero per se subsistit, modo rite factum sit. Differt quoque testamentum a fideicommissis, quod est ex jure antiquo, ubi testator aliquid fidei heredis relinquit, ex jure novellarum autem ultima voluntas verbis quidem præcatis facta, sed tamen heredem obligans. Fiunt ergo fideicommissa verbis præcatis, interdum quoque nutu, teste Heineccio, & heredem non institunt, quæ omnia in testamenta non cadunt. Differunt tandem testamenta a codicillis, qui continent ultimam voluntatem minus solemnem de eo, quod quis post mortem fieri vult excepta heredis institutione. Codicilli enim epistolæ formam præ se ferunt, contra testamenta semper legis formam servant, iis & fideicommissa & legata relinquuntur, his vero tantum hereditates; in illis plures solemnitates in testamentis necessariae omitti possunt, illi tantum sunt dispositiones particulares, ideoque aliquis cum pluribus codicillis simul decedere potest, & si sibi adversantur, posteriores valent: cum tamen nemo cum duobus testamentis decedere possit; nulla quoque in codicillis exigitur solemnitas ordinationis. (Quæ verba Vinnio displicent, sed ab Heineccio ita explicantur, quod

quod testes adesse possint, quibuscum non est testamenti factio.) Sæpe quoque codicilli testamento junguntur sub hac formula: si testamentum non valebit tanquam testamentum, volo, ut valeat jure codicillorum. *Lege enim 41. §. 3. D. de vulg. & pup. subst.* Iancitum est, quod si testamentum jure non valuit, ea scriptura, quam testamentum esse voluit testator, codicillos facere non possit, nisi hoc expressum sit. Inde hæc formula codicillaris propter utilitatem suam in foro herbæ betonicæ nomen obtinuit. Tandem in codicillis heredis institutio directa neque fieri neque tolli potest, & ne tunc quidem valet, si codicilli testamento sunt confirmati, nisi in hoc testamento sit repetita. Contra in testamento hæc heredis institutio tanquam primaria & intrinseca ejus solemnitas, necessaria est.

## §. 5.

*De testamenti nuncupativis, scriptis & mysticis.*

Genuina jam testamenti notione suppeditata, & differentia ejus ab aliis ultimis voluntatibus exposita, de quanam re nobis sermo sit perspicuum est. Ulterius ergo ad divisionem testamentorum progrediendum. Testamenta ex eo appellari, quod sint mentis testationes, infert *Iust. §. 1. I. de testam. ordin.* Mentis vero testationem & verbis, & scriptura aliis notam fieri posse nemo in dubium vocabit. Inde fluit & testamenta dari nuncupativa. In his & heredis institutio & unitas contextus, præsentiaque septem testium idoneorum testatorem videntium & intelligentium, tandemque quoad testatorem, eum integræ mentis, & neque surdum & mutum esse requiritur eliquæ vero solemnitates exulant. His contradistingvuntur testamenta scripta, in quibus omnes solemnitates, in quas mox indagabo, requiruntur, a quibus tamen differunt testamenta in scripturam redacta, quæ vere sunt nuncupativa, ideoque iisdem requisitis indigent, quæ in nuncupativis locum habent, & modo memoriæ causa, ne infida testium memoria pereant, in scripturam rediguntur, ideoque neque subscriptione neque subsignatione in illis opus est.

Præterea etiam dantur testamenta mystica, vel relativa, si testator non nominat heredem, sed tantum nomen ejus in schedula quadam scriptum esse dixit. Verum, quid de his judicandum sit facile perspicuus pendentes, 1.) illa mixta esse, ex parte nimirum scripta, ex parte nuncupativa, in toto corpore juris de quibus nihil sancitum est, 2.) nomen heredis in schedula nullo labore mutari posse, adeoque illa eo certitudinis egere gradu, quo alia gaudent, 3.) dubium quoque esse, an unitas actus ad fuerit, quia schedula facile alio tempore potest esse scripta, unde totum corrueret testamentum.

## §. 6.

## De testamento militis.

Alia est testamentorum divisio in solemnia, de quibus statim erit sermo faciendus, & privilegiata, quæ singulari privilegio gaudent, ex quo illis quædam externa solemnitates remissa sunt, quorum privilegiorum fundamentum est favor vel testatoris, vel causæ seu heredis, uti in testamento, quo pro causâ consulitur. Inter ea in primis referendum est testamentum militis. Miles vero ex l. 42. D. de test. mil. non est tiro lectus, & publicis expensis iter faciens, sed lectus & in numerum relatus demum militis nomine venit. Rationem ob quam militi privilegia hæc data sunt, suggerit Tribonianus in pr. I. de mil. test. & putat id factum esse propter nimiam militum imperitiam. Sed antiquissimum in republica romana erat privilegium militum, ut in proximo in cinctu gabino ad prælium euntes, sine solemnitatibus testari possent. Milites vero antiquissimi, ut monet Heineccius non ex face plebis ima & imperita, sed ex flore delibato civium romanorum lecti erant. Vera igitur ratio hujus privilegii erat imminens vitæ periculum, & ut animi militum excitarentur, eoque libentius milites castra sequerentur. Posterioribus temporibus hoc privilegium ab Imperatoribus etiam militibus mercenariis concessum est, quia in eodem vitæ discrimine versabantur, pro-

propter quod antiquæ militiæ illud concessum erat. Testabantur ergo milites scripto testamento etiam sine testibus, dummodo extra dubium esset militem illud scripsisse; nuncupativo autem, duobus tribus aut quatuor personis audientibus; testamentum enim nuncupativum militis in acie constituti, uno tantum præsentē teste factum valuisse plures JCTi negant. Heinæcius talia testamenta docet facta esse a quasi devotis Diis Manibus, & eadem tacito populi suffragio tanquam *νομῶν ἀρχαῶν* valuisse, indeque rationem reddit, cur raro & non nisi in extremo rerum discrimine hujusmodi testamenta condita sint. In hibernis vero constituti militis testamentum, solemnitatibus non solum erat, sed eodem jure, quo testamentum pagani obstringebatur. De valore testamenti militaris, si quæstio movetur, distingvendum est inter militem, qui talis est & manet, quippe cujus testamentum semper valebat, & inter militem qui militiam reliquerat. Erant autem modi dimissionis apud Romanos tres; alia dimissio erat honesta, si miles viginti annos arma secutus erat, alia erat causaria si egregius miles in morbum inciderat, utroque modo dimissionum testamenta adhuc per annum post dimissionem valebant, alia tandem erat ignominiosa, propter delictum, & hoc modo dimissionum testamenta, simulac dimissi essent, statim evanescebant. Eodem privilegio etiam gaudebant, qui militi æquivalentes, id est omnes, qui utilitatem castris afferebant, & in pari, ac milites, vitæ discrimine versabantur, non autem uti Ulpianus docet L. 44. *De test. mil.* omnes qui in hostico deprehendebantur, ibique decedebant. Si vero, de quibus dixi, hoc favore utebantur quidem, sed si in illo periculo non decedebant, statim ipsorum testamentum privilegiatum valere desinebat.

## §. 7.

*De testamento parentum.*

Sicut testamenta militum omnibus, sic parentum ultimæ voluntates quibusdam solemnitatibus solutæ sunt. Vox parentis duplicem in jure significatum habet nimirum vel Patrem, Matrem-

que vel omnes ascendentes designat: hic posteriorem significatum admittimus; quin cum jura omnem hæc in re distinctionem nesciant, & illegitimi parentes sub intelligendi sunt. Ad valorem hujusmodi testamenti necesse est, ut testator tantum inter liberos testetur: si enim extraneo cuidam testator aliquam univerſitatis bonorum partem assignat, omnibus solemnitatibus adhibitis id factum esse oportet. Sic enim *L. ult. C. fam. ercis. Si vero in hujusmodi voluntate designatis personis alia sit mixta persona, certum est, eam voluntatem, quantum ad illam duntaxat personam permixtam pro nulla haberi.* Sic quoque *Nov. 107. c. 1.* injungit, testes adesse oportere, si aut uxori, aut extraneis personis voluerit relinquere legata, aut fidei commissa, aut libertates. Requiritur quoque ad hoc testamentum, annui & diem esse adjectum, quod si non fit, per se subsistere nequit, veruntamen instar nudæ divisionis paternæ sustinetur. Tandem uncias expressas, id est partes determinatas hereditatis cuilibet liberorum assignatas esse oportet, unde Doctores colligunt, parentem liberos per testamentum privilegiatum exheredare non posse, propterea quod illud non solum in parentem, sed etiam, & quidem magis adhuc in liberorum favorem concessum fuit. Vetus enim, & trita est regula juris: Quod in favorem alicujus concessum, in ejus odium torqueri nequit.

## S. 8

*De testamento tempore pestis facto.*

Ad privilegiata testamenta quoque referri debent, quæ tempore pestis condita sunt. Pestis vero nomine Ictis veniunt omnes morbi contagiosi, quoniam eadem ratio in illis locum habet, ac in peste stricte sic dicta, periculum scilicet ex simultanea testium præsentia exoriundum. Quoniam vero hoc saltem in favorem testium fiebat, non sufficiebat ipsum testatorem tali morbo laborare. Nostris vero temporibus requiritur, vel ipsum testatorem eo laborare, vel etiam domum ejus infectam esse, & tunc duo aut tres testes sufficiunt, quæ de re vide: *Altes sächsisches Land-*

Nacht,



Recte, quod aliter apud romanos se habuit, qui septem testes exigere consueverunt. Sic enim *L. 8. C. de test. Testes ejusmodi morbo oppressos eo tempore jungi & sociari remissum est, non etiam conveniendi numeri eorum observatio sublata est.* Nihil igitur apud romanos, nisi unitas contextus huic testamento deesse poterat.

## §. 9.

*De testamento ruri facto.*

Ruri testantibus, quo tamen non nisi ruri vitam degentes, vel ordinarie habitantes, referendi sunt, nihil remissum est, nisi quod *L. ult. C. de test. rusticanis* concedit, in illis locis, in quibus raro inveniuntur homines litterati, antiquam eorum consuetudinem legis vicem obtinere, testium numerus si adimpleri nequit, quinque testes sufficere, & si unus aut plures fuerint litterati, eis pro ignorantibus qui presentes sunt, subscriptionem suam interponere licere.

## §. 10.

*De testamento Principi oblato.*

Omnes solemnitates remissa sunt testamentis Principi oblatis atque actis insinuatis, quæ in codice preces Principi oblata nominantur, *L. 19. C. de test.* Solemnitatibus soluta sunt propter fidem publicam qua sustententur & quæ fraudis suspicio nem nullo modo admittit. Verum miræ discordiæ inter Ictos exorta sunt, num per procuratorem Principi tradi possit testamentum. Equidem Leysero duce, quoniam tutius est, ut ipse Principi tradas svadeo, si vero mavis per procuratorem tradere, eum mandato de insinuando instruas; deinde, ut Leyseri verbis utar, *neceste est ut omnis suspicio fraudis, coactionis, importune flagitationis exulet.* Si hæc saltem verosimiliter apparet, *infirmandum est testamentum.* Addit vir doctissimus rationem, propter quam solemnitates hæc testamentis remissa sunt, esse fidem publicam, quæ omnem doli suspensionem tollit. Simulac ergo adest suspicio,

cio, fidem publicam cessare, & per consequens testamentum infirmandum esse, in aprico est.

## §. 11.

*De testamento posteriori imperfecto.*

Si in testamento solemnii heredes ab intestato prateriti sunt, testator autem postea alio testamento eos ad hereditatem vocavit, cui tantum quinque testes adfuerunt, hoc posteriori imperfecto rumpitur perfectum prius. Obstare videtur *L. 35. D. de reg. Jur.* nihil tam naturale esse, quam eo genere quidve dissolvi, quo colligatum est, sed ob singularem heredum ab intestato favorem *L. 21. C. de test.* sancitum est: ut si in priori testamento perfecto extraneis heredibus scriptis, in posteriori, licet imperfecto, testator legittimos instituit, infirmato priori, secunda ejus voluntas, quasi voluntas ultima valeat, in qua voluntate quinque testium juratorum depositiones sufficiunt.

## §. 12.

*De testamento ad piam causam.*

Tandem hic consideranda veniunt testamenta, quibus piam causam consulitur, quæ præsentem parochum & duobus testibus facta, nulla amplius solemnitate indigent. Verum perpendentes piam causam in genere esse omne id, quod singularem in jure favorem habet, Pontificem vero tantum ecclesias, Cœnobia, pauperes &c intelligere, videmus, hæc testamenta tantum juris canonici esse, & in jure civili rationem eorum non haberi. His paucis de testam. privil. in medium prolatis, ea, tanquam a scopo meo aliena, missa facio, & paulo curatius de ipso solemnii testamento sermonem faciendum esse existimo.

## §. 13.

*De solemnitatibus testamenti externis.*

Omnia testamenta, si ab illis, quorum jam mentionem feci discesseris, solemnnia sunt, igiturque nec interna, nec exter-

nis

nis solemnitatibus carere possunt. Essentia & natura interna solemnitatis jam explicata, progredior ad eruendum externarum solemnitatum genuinum conceptum, earundemque naturam, ac originem ex antiquioribus romanorum moribus in dagandam. Quum externa testamenti solemnitates non ejusdem essentiam constituent, sed tantum ritus & ceremoniarum sint, quibus ideo utendum esse leges præcipiunt, ut omnes fraudes removeantur, suspiciones exulent, & indubia ultima voluntatis certitudo obtineatur, eas ita definiendas esse patet, quod constituent rite rituale in testamentis condendis observandum. Discrepant maxime a solemnitate interna, quod earum omisso tantum solemnities, non autem minus solemnities testamenta vitiat, interna vero solemnities in omnibus testamentis observanda est, quoniam alias testamentum ipso jure nullum foret. Inter has externas solemnities refert Iustinianus, unitatem contextus, comparantiam septem testium idoneorum, rogatorum & testatorum videntium, subscriptionem testium & testatoris, obfignationem annulo factam, de quibus singulis mihi dicendi copia datur.

## §. 14.

## De unitate contextus.

Unitas describitur *L. 21. C. de testam.* ubi requiritur eam fieri uno tempore, eodemque die, nullo actu extraneo interveniente, & ut testes simul, nec diversis temporibus scribant & signent testamentum. *L. 28. C. eod. tit.* præmissa admonitione, ne superflua quædam intercedant, speciales quidam casus allegantur, qui unitati contextus nihil nocent. Sancivit Imperator, si quid necessarium evenerit, & ipsum corpus laborantis respiciens contigerit, quo relicto sanitas testatoris periclitetur, hoc fieri posse salva contextus unitate, neque testamentum subvertendum esse, si quis necessarius usus naturæ ad depositionem superflui ponderis imminet, sed separatis, & iterum introductis testibus in testamenti factione pergendum esse, illudque etiam locum habere,

si cuidam testium aliquid contigerit, fin autem longiori spatio re-  
fectio fortuiti casus indigeat, alios testes irrogandos esse. Cum  
igitur actus extraneus intervenire non debeat, statim testamenti fa-  
ctio viciatur, si contractu interrumpitur, sive testator cum uno  
ex testibus, sive cum extraneo durante testamenti factio, ejus-  
que solemnitatibus contrahat. Quum vero aliud sit contrahere,  
aliud corroborare sua confessione contractum jam ante initum, in  
priori casu quidem, non autem in posteriori vitiatur testamenti  
factio, idem enim hoc est ac confessio debiti facta in testamento,  
de qua vide *argum. L. 37. §. 5. D. de legatis III.* Originem hæc  
solemnitas externa ex testamentis in comitiis calatis factis du-  
cit, quæ a convocando ita appellata sunt, & in quibus testamenta  
condebantur, quod utrumque Gellius docet *Noct. att. 15. 27.* di-  
cens, *comitia calata esse, quæ pro collegio pontificum habentur,*  
*aut Regis, aut flaminum inaugurandorum causa, eorum autem alia*  
*esse curiata, alia centuriata, curiata per hystorem curiatim calari,*  
*id est convocari, centuriata per cornicinem.* Addit: *iisdem comi-*  
*tiis quæ calata appellari diximus, & testamenta fieri solebant.*  
Cum enim admodum naturæ conforme sit, quidvis ea ratione dis-  
solvi, quæ colligatum est, ideoque leges de successione ab inte-  
stato privati hominis voluntate tolli non possint, antiquissimo ro-  
manorum jure nemo privatim de successione disponere poterat,  
sed testamenti factio juris publici erat, & testamenta in comitiis  
calatis totius populi consensu condebantur quæ certo proprie non  
ultimæ voluntates, sed potius novæ de successione leges privata,  
ad exemplum non trahendæ, populi consensu lata, & heredes in  
iis instituti, non ultima voluntate instituti, sed potius legitimi erant.  
Abolitis paulo post vetustioribus testamenta faciendi modis, & hoc  
novo invento, uti legislatio in comitiis calatis facta nullo alio in-  
terveniente actu interrompebatur, ita & in hisce testamentis id  
ipsum & in antiquorum testamentorum memoriam, & ut legis  
formam non amitterent, requirebatur, ut nullo actu extraneo  
interveniente interrumperebatur. Testamentum enim semper ad  
hæc juris publici, atque legem esse fingeant romani.

## §. 15.

*De septem testibus.*

Altera externa testamentorum solemnitas jure civili est presentia septem testium, cujus originem ex Servii Tullii Romanorum regis tempore petere oportet. Hic enim, ut & numerum & facultates populi sciret, illum in campo martio congregari iussit, & censum instituit, quo facto teste Livio LXXXIVM. secundum Dionysium Halicarnasense vero, qui ipsas, quibus hic numerus insertus fuit, tabulas inspexit, adeoque majorem adhuc fidem meretur LXXXIIIIMDCC. cives esse, intelligebat. Hic census deinde quinis annis instituebatur. Censu instituto, Rex, ut id, quod intendebat, consequeretur, plebique omnem potestatem eriperet, totum populum in quinque præcipuas, in genere autem in sex classes distribuebat, primam classem ditissimorum octoginta centuriis constare jubebat, & huic adscripti teste Dion. Hal. scutis argento obductis utebantur, secunda, tertia & quarta classis, quævis viginti centurias habebat, quinta vero centurias triginta amplectebatur, ultima unam tantum centuriam constituebat, cui adscripti proletarii nuncupabantur, quippe qui neque onera ferentes, neque arma sequentes, non nisi proles procreatione reipublicæ inserviebant. His præmissis videamus, quomodo inde septem testium presentia orta sit. Legibus XII. Tabularum A. 301. U. C. ex Græcia adductis sancitum erat: *Patër familias, uti legasset super familia, pecunia, tutelave suæ rei, ita jus esto.* Maxima ergo libertate testamenta condendi romanis concessa, testamentorum in calatis comitiis factorum usus cessavit. Cum vero juris publici constitutiones privatorum voluntate tolli non possent, & hereditas omnino talis res, quæ alienatur, venditur & manu capitur, id est, res mancipi esset, Jureconsulti fingebant, eam inter vivos alienari, sicque per æs & libram testari cœperunt. Huic actui inter esse debebat familiæ emtor, libripens, qui libram ancem tenebat, & antestatus qui testes convocabat, eorum aurículas tangebatur, & hoc modo actum eorum memoriæ quasi imprimebat.

Præterea quinque testes requirebantur, qui quinque romani populi classium formam præ se ferebant a Serv. Tullio institutarum, sexta enim, quæ ne quidem ad militiam idonea videbatur, hic quoque non locum habebat. Ad perficiendum tandem hocce testamentum necesse erat, ut testator tabulas ligneas cera obductas, quibus testamentum inscriptum erat, manu tenens, præsentibus solemnibus formula alloqueretur: *Hæc, uti in his tabulis cerisve scripta sunt, ita do, ita lego, itaque vos Quirites testimonium præbitote.* Tandem antestatione facta, auribusque testium tactis, testamentum solemniter conficiebatur. Inde originem hujus ritus quod septem testes adesse debeant, derivare conor, quorum unus antestati, alter libri pendis, reliqui quinque testium in testamentis per æs & libram, adeoque quinque præcipuarum a Servio Tullio institutarum populi romani classium, imaginem præ se ferebant. Hos vero quinque testes, quasi has classes representasse, & ex eo patet, quod inde testes classici appellati sint, quippe qui ex primis quinque romanorum classibus erant, licet nostris temporibus voce testis classici quemcunque testem habilem atque idoneum, germanen tüchtigen Zeugen, intelligamus.

## §. 16.

*Testes rogatos esse oportet.*

Neque idem est, quam ob causam testes convenerint, sed potius jus nostrum exigit, eos specialiter rogatos esse. Sic L. 21. §. 2. D. qui test. fac. possunt, cautum, ut testamentum fiat, testes adesse debere rogatos, alterius rei causa forte rogatos, ad testandum non esse idoneos, addita tamen restrictione, quod, si testes alicujus rei causa convocati sunt, sed ante testimonium suum recte perhibere possint. Etiam hic ritus ex antiquis romanorum testamentis in comitiis calatis factis, originem ducit, ibi enim populus solemnibus hac formula rogabatur: *Velitis jubeatis Quirites, uti L. Titius L. Valerio tam jure legeque heres sibi sit, quam*

fi

*si ejus filius familias, proximusve agnatus esset, hæc ita ut dixi, ita vos Quirites rogo; quoniam in formulam quoque in adrogatione adhibitam esse Heineccius Gellii testimonio probat. Sic quoque hæc in re novi juris testamenta antiquum morem conservasse in aprico est.*

## §. 17.

*Testes oportet testatorem videre.*

Præterea Dioclet. & Maxim. Imperatores sanciverunt, testamentum ne valeat, si testes testatorem videre nequeunt. Hoc enim aperte dicit *L. 9. C. de testam.* Necessè igitur est, testes in conspectu testatoris esse eumque videre. Id quod fini, propter quem testes adsunt, adæquatum est, scilicet, ne fraudis suspicio in testamentum cadere possit, sed ut de testatoris voluntate certo constet. Licet vera hæc vero ratio sit, cur testes in testatoris conspectu constitutos esse oporteat, tamen a veritate me non aberrare puto, involvens, & hujus ritus occasionem dedisse testamenta in comitiis calatis facta, vel etiam postea testamenta per æs & libram. In ambobus enim, omnes, qui actui intererant, & ad eum perficiendum pertinebant, quisque alterum, videbant, quo asserto tamen non infero, in comitiis calatis, quemlibet e populo, omnes & singulos alios, qui comitia celebrandi causa convenerant, videre potuisse, quod in tanta hominum multitudine, nec verosimile nec possibile est. Sunt quoque Jure consulti, qui exigunt, ut testes personam testatoris noscant, sed, cum neque ex ullo antiquo ritu, neque ex Corporis Juris ulla lege hoc colligi possit, neque ulla veteri inscriptione aut historicis vestigiis hoc possit comprobari, hoc requisitum romanis ignotum fuisse, videtur.

## §. 18

*Testes oportet esse tales, quibuscum est testamenti factio.*

Inter qualitates testium etiam hæc referenda, quod debeant esse idonei, seu, uti in vernacula nostra nominari solent;

Sieben dazu erforderete, vollkommene, und unbescholtene Gezeugen, id quod Imperator Justinianus §. 6. I. de testam. ordin. aliis verbis exprimit, præcipiens, ut testes sint tales, quibuscum est testamenti factio. Jam vero testamenti factio duplex est, alia passiva, alia activa, & quamnam hic intelligenda sit, dubitatur. De activa integer duodecimus institutionum titulus agit, secundum quem apud romanos testamentum facere non poterant I. Juri alieno subjecti, quales sunt servi, filii familias, qui testari nequeunt, licet a patre illis concessum sit, quoniam enim L. 3. D. Qui test. fac. poss. testamenti factio est juris publici, privata patris voluntas eam filiis concedere nequit: de peculio autem castrensi & quasi castrensi testamento disponere potest, uti etiam facultatem habet mortis causa donandi, nam & is, qui testamentum facit, & is, qui non facit, mortis causa donare potest. L. 25. D. de mortis causa don. Huc quoque pertinent in justa servitute viventes, seu ab hoste capti, quorum testamentum neque valet, quamvis redierint, si autem factum est ante captivitatem, si redierint jure postliminii, si in captivitate decesserint, ex lege Cornelia valere docet Imperator. Hoc autem ad eos, qui a latronibus capti sunt, non quadrare, exinde in promptu est, quia hi non in justa servitute sunt, ideoque nullam capitis deminutionem patiuntur II. Impuberes, quales sunt exponente Ulpiano, mares, qui decimum quartum, & foeminae; quæ duodecimum annum nondum compleverunt. III. Furiosi & mente capti, utpote impuberibus similes, quorum tamen testamentum, si tempore furoris intermissi factum, jure valet. IV. Prodigii, qui furiosis exaquantur, si bonorum suorum administratio iis interdicta est testari non possunt; testamentum vero interdictione vetustius valere, totidem verbis docet L. 18. D. Qui testam. fac. poss. V. Surdis & mutis simul quoque interdicta est testamenti factio, si ex ipsa natura hoc habent. Conf. L. 10. C. de testam. VI. Huc quoque pertinent peregrini, quoniam testamenti factio juris romani erat, & VII illi, qui in poenam testamentum facere non possunt, quales sunt deportati in insulam, ad ferrum, bestias, in metallum dam-



damnati, ii, quibus aqua & igni interdictum est, majestatis rei, quorum bona fisco addicuntur, *L. 5. C. de leg. Jul. Maj. haretici, & apostatae*, qui nec testamentifactionem activam, nec passivam habent, incesto matrimonio juncti, ob carmen famosum damnati, qui lege intestabiles esse jubentur. Ex his videmus mulieribus non interdictam esse testamenti factionem, quamvis testium partes agere nequeant; unde patet testamenti factionem activam hic non intelligendam esse, passivam vero quoque hic non locum habere, quia mulieres & heredes institui possunt. Inde quoque prono alveo fluit nec activam & passivam simul intelligendam esse, cum mulieres & activam & passivam habeant, & nihilominus testium munere fungi nequeant. Iterum ergo ad antiquitates recurrendum est, & dicendum, eos, quibuscum est testamenti factio, nullos alios esse, quam, qui jure comitorum fruebantur, non solum ergo ii, qui jure *Quiritium* utebantur, sed & omnes cives romani, quia Romulus illis omnibus jus libere suffragia ferendi concesserat. Sic mulieres, quae comitiis adesse, & suffragia ferre non poterant, etiam testamento, tanquam testes interesse non possunt. Servus, quia juris civilis communionem non habet, nec praetoris edicto sustinetur *L. 20 D. Qui test. fac. poss.* testimonium in testamento dicere prohibetur, uti & impubes, quoniam & ille propter ingenii debilitatem comitiis adesse, ibique suffragia ferre non poterat. Eadem ratio quadrat ad furiosum, mente captum, prodigum, tanquam civiliter mente captum. Surdi & muti, cum nec audire, quid in comitiis proponeretur, nec suffragia nuncupare possent, ad testamentum testium loco haud adhibebantur: Ratio autem, ob quam caecus testem agere nequit, in antiquis moribus non fundata est, poterat enim & comitiis adesse, & suffragia ferre. At ratio haec est: testes oportet testatorem videre, & pro consequendo fine propter quem testes convocantur, necesse est, eos quoque sigillo confirmare & subscribere itemque & sigillum, & subscriptionem suam, exorta lite vel suspitione testamenti suspecti, inquirere & recognoscere posse, quibus negotiis caecus impar est. Eatenus vero haec lex,  
ne

ne cœcus testis adhibeatur, ex antiquis romanorum moribus originem ducit, quatenus inde promanavit lex quæ testes jubet videre testatorem. Hæretici, perpetua infamia damnati, & apostataz testimonium in testamento dicere non possunt, quia antiquissimis temporibus jura civitatis amittebant, & eo ipso jure committiorum privabantur, qui alienos deos in urbem introduxerant. Ob carmen famosum damnati, ceu intestabiles testes adhiberi nequeunt, quoniam antiquis moribus jure civitatis indigni habebantur, & tale facinus nequidem imi sublilii virum, nedum civem romanum decebat. Peregrini ad testimonium dicendum non admittuntur, hi enim juris committiorum non erant participes, & peregrinis exæquabantur illi, qui capitis deminutionem mediam & maximam passi erant. Possunt vero filii testatoris & heredis testium munere fungi, dummodo vinculum patriæ potestatis non concurrat, i. e. si nec in testatoris nec heredis patria potestate constituti sint, hoc enim casu pater & filius pro una eademque persona habentur. Valet quoque testis inhabilis, sed ab omnibus aliis testibus pro idoneo habitus, hujus enim judicii vis tributa est ceteris testibus per *L. 1. C. de testam.*

## §. 19.

*De subscriptione testatoris.*

Præter has, de quibus locutus sum, externas solemnitates, & in scripto, & in nuncupativo testamento requisitas, adhuc illæ considerandæ veniunt, quæ in scriptis testamentis solum locum habent, scilicet subscriptio testatoris atque testium & signatio ab eis perficienda. Aut ipsum testatorem scribere testamentum oportet, quo in casu illud *ολογραφον* vocatur, aut ille curat, ut ab alio scribatur, ipse vero subscribit. Græce, an latine scriptum sit, nihil interest, nam Theod. & Valent. Imperatores *L. 21. C. de testam. §. 4.* ita prospexerunt, ut etiam græce omnibus liceat testari. Neque necessario requiritur, testes linguam, qua testamentum scribitur, intelligere, cum testes testamentum legere haud ob-

obstricti sint. Idem quoque est in tabulis cera obductis, an membrana aut charta illud scriptum sit: sufficit illud non charta deletitiae, cui jam antea aliquid inscriptum, & erasum, neque charta, cujus alterutri paginae aliud quid insertum est, esse inscriptum. Neque notis, sed litteris utendum est, imprimis nomina & numeri litteris distincte exprimi debent, nomen autem heredis secundum plurimos Jureconsultos & a testatore, & a testibus scribi necesse est. Quod ad subscriptionem attinet, ad eam perficiendam, si testator ipse litteras nescit, aut propter morbum, aut ex alia ratione subscribere nequit, testis octavus est adhibendus, secundum regulam juris: quotiescunque defectus aliquis in testatore est, ut solemnitatem aliquam ipse expedire nequeat, adhibendum tunc esse testem supernumerarium. Hic octavus testis, & suum proprium nomen, & nomen testatoris subscribere, & simul annotare tenetur, se rogatum esse, ut locum octavi testis occupet; quia testator scribere vel nesciat, vel nequeat. De testamento coeci *L. g. C. Qui test. fac. poss.* disponit, quod, si non nuncupativo, sed scripto testamento de universitate bonorum dispo- nere velit, id ei praelatur praesentibus septem testibus atque tabulario, a quibus omnibus illi subscribendum est. Quia autem tabulariorum copia non ubique datur, in eadem lege jubet Imperator Justinus, ubi tabularius reperiri non possit, adhiberi octavum testem, ut id per octavum testem effectum capiat, quod alias tabulario commissum est. Haec testamenti a coeco facti pra- lectio, *Lexero in meditationibus ad pandectas* bene monente, non tam inter testamentorum solemnitates referenda, quam potius ad integritatem testamenti, & excludendas insidias necessaria est; svadet idem Autor ut ea, ubi nec de necessitate est, probationis causa adhibeatur, allegatque exemplum, quod totidem verbis hic inferam. *Oppugnabatur, inquit, aliquando testamentum scriptum, variaque de testatoris serua voluntate, de subscriptione ejus & notarii, item de sigillis testium dubia movebantur, corruiissetque forte testamentum, nisi notarius, se illud testatori in praesentia testium praelisse, adscripsisset. Hoc vero litem omnem tollebat. Post praelationem enim, & sequutam testatoris approbationem, de*

D seria

*seria ejus voluntate dubitari amplius non poterat. Vitia quoque, quae in subscriptione & sigillatione apparebant omnia, praelectio sanarar, quippe quae ex testamento scripto nuncupativum effecerat. Quam ob rem sic respondimus mense Junio Anni 1725. Es würde der letzte Wille bestehen müssen, wenn auch gar keine Unterschrift vom Notario und den Zeugen, auch kein Pötschaft dazu gekommen, da der Qußtas öffentlich verlesen, und von der Beritorbenen approbiret worden, folglich wenigstens als eine Dispositio nuncupativa gelten muß. Inde colligi potest, quanti valoris sit hæc praelectio.*

§ 20.

*De testium subscriptione.*

Jam ad alteram, in scriptis testamentis requisitam externam solemnitatem progredior. Nimirum sicuti testator aut si ipse scribere nescit, tabularius, & ubi hic deficit, octavus testis testatoris nomine subscribere tenetur, ita & septem testes subscribere debent. In testamentis rusticorum, ubi non tot testes qui scribere sciunt, inveniri posse praesumitur, donec contrarium probatur, unum testem ceterorum nomine subscribere licet. Ubi autem copia est hominum litterarum peritorum, quilibet testis ipse manu propria subscribere tenetur, ut exigente necessitate cognosci possit, quinam eorum subscriperit. Sic enim *L. 30. D. Qui testam. fac. poss.* Jure consultus Paulus loquitur: Singulos testes, qui in testamento adhibentur, proprio chirographo adnotare convenit, quis, & cujus testamentum signaverit. Inde formula, qua in subscriptione testes utuntur, ita se habet: Cajus Julius subscripsi, & Titi Sempronii testamentum obsignavi; qua formula si non utuntur testes in subscribendo testamento, illud testamentum valere non posse, ex tenore legis citatae nullo labore colligitur. Ratio vero, ob quam testes sub dicta formula, & singuli propria manu subscribere debent, latet in communi principio omnium externarum testamenti solemnitatum, nempe ut eo certius de testatoris voluntate constet, nec eadem facile subvertatur & omnis fraudis suspicio removeatur.

§ 13.

§. 21.

*De sigillatione testium.*

Jamjam satis perpensis unitate contextus, septem testium simultanea presentia, testamenti in scripturam redactione, testatoris quoque & testium subscriptione, de ultima testamenti externa solemnitate dicendum est. Vt enim communis iste omnium solemnitatum externarum finis eo certius obtineatur, illis adhuc hæc adjecta est, testes testamento signacula adponere debere. Hic ritus signationis ex antiquo testamento prætorio originem ducit. Etenim si testamentum per æs & libram conditum imperfectum erat, ut ipso jure valere non posset, Prætor illud sustinebat, bonorumque possessionem secundum tabulas dabat. Antiquum hoc esse testamentum probat Cicero, narrans, Verrem Prætorum urbanum edicto publicasse, se bonorum possessionem secundum tabulas daturum, si testamentum jure non valuerit, & addit, *tale testamentum translaticium esse*. Hoc prætorium testamentum omnibus solemnitatibus in testamento per æs & libram requisitis solutum erat, quin & mancipationis & nuncupationis ritus omitti poterant, nihilque Prætor desiderabat, nisi septem testium signacula. Sic testium signatio in novi juris testamentis requiritur ex constitutione Prætoris, uti testium subscriptio ex constitutionibus Imperatorum. Heineccius non sine ratione, id, de quo mihi sermo est, testamentum, appellat testamentum ex ritu antiquo, edicto Prætoris & constitutione Principis conflatum. Nostris quidem temporibus quæstio est domitiana, num annulo aut typario signanda sint testaments, apud romanos autem non ita erat, sed expresse annulus requirebatur. *L. 22 §. 5. D. Qui testam. fac. poss.* & quidem talis qui habet χαρακτήρα, id est formam, insculptamque signis imaginem, Originem hic ritus quoque ex antiquis romanorum moribus ducit. Duplici utebantur veteres romani instrumento ad signandum, aliud erat typarium ferreum clavi sapissime adjunctum, quo promoscondos, horrea &c. obfirmabant, ne servi aliquid auferrent, aliud erat annulus signatorius, quo subfirmabant contractus, aliave Instrumenta obligatoria in scripturam redacta. Jure annulorum aureorum tantum

D.2

frue-

fruebantur Quiritarii juris participes, atque ingenui cives romani, uti & municipes, qui jus romanæ civitatis impetraverant, tandemque liberti eodem jure donati, non autem liberti, qui jus latinorum habebant ideoque latini juniani appellabantur, neque dedititii, donec Imperator Justinianus *LL. O. de deditit. & de lat. libert. toll.* omne hoc discrimen sustulit, iisque *cap. 1. Nov. 78.* jus aureorum annulorum, & *παλιγγενεσίας*, seu regenerationis dedit. Effectus hujus juris est, ut libertus, uti per manumissionem libertinæ conditionis factus erat, ita jure regenerationis seu natalium restitutione ingenuus fieret. Jure aureorum annulorum liberti quoque jura ingenuitatis, & jus honorum acquirebant. Attamen Imperator *cap. 2. novell. cit.* adjecit, ut nihil, neque post hanc legem læderentur patronatus jura, sed liberti nihilominus reverentiam & obsequium patronis debitum præstarent. Antiquis autem temporibus liberti nec ingenuitatem, nec jus aureorum annulorum habebant, & hinc circa testamentorum solemnitatem subsignatio annulo facta requisita fuit.

## AUTORI AC RESPONDENTI

S. P. D.

### P R Æ S E S.

**R**eddo Tibi Auditor Amantissime, exercitationem proprio studio abs Te conscriptam, prout eandem ante aliquot dies mihi revidendam exhibuisti. Licet nullam plane elaborationis partem mihi vindicare possim, talia tamen deprehendi dogmata, in quibus defendendis Tibi auxilio meo adesse haud denegabo. Laudabunt Viri cordati & rerum periti, Tuam hoc specimine probatam diligentiam, nec a Te principiis juris Romani initiato, plus exigent, quam quod pro viribus Tuis præstitisti. Perge in recto tramite quem hæcenus secutus es, & practicam juris scientiam cum theoria combinando, Te patria, foris & literis olim vilem redde. Vale mihi que fave. Dab. e Musæo d. II. April. A. C. MDCCLXXII.



VD  
18

ULB Halle

002 713 802




3

56,









13  
10.1

SPECIMEN  
CIVILIS ROMANI  
DE  
MNITATIBUS  
AMENTORUM  
XTERNIS

772,1

QVOD  
P R Æ S I D E  
VLTISSIMO EXCELLENTISSIMO  
DOCTISSIMO

L G R A L A T H  
E. E. J. ET HISTOR. P. P. O. ET ILL.  
ATHEN. INSPECTORE

ITORIO MAXIMO  
PRILIS A. R. S. MDCCLXXII.

PVBLICE DEPENDET  
TOR ET RESPONDENS  
ODOFREDUSPATZER GED.  
RO FERBERIANUS ET VOEGEDINGIANUS.  
ERSVS OPPONENTES  
BUM DIRKSEN. GED. J. V. C.  
GUSTUM PEGELAU. GED. J. V. C.  
NEDICTUM FLANDER. GED. J. V. C.

GEDANI,  
DHANNIS SCHREIBERI, MAGNIF. SENATVS  
ET ATHENÆI TYPOGRAPHI,

